

## QUESTIO VII.

### DE GRATIA CHRISTI.

Acturus S. Thomas de perfectionibus in humanitate Christi assumptis, primo incipit ab ejus gratia; in hac quidem quæstione septima agendo de ipsa secundum se, et in ordine ad se: in sequenti vero, de ipsa quatenus est gratia capitis, et influxiva in alios. De ipsa secundum se tractat duo. Primum, de ipsa gratia, virtutibus, donis, et gratiis gratis datis, quæ fuerunt in Christo: secundum, de perfectione, plenitudine, et infinitate ipsius gratiæ, et distinctione ejus a gratia unionis. In primo ordine ponit in Christo gratiam et virtutes, excludendo illas, quæ imperfectionem important repugnantem visioni beatæ, ut sunt fides, et spes. Ponit etiam dona Spiritus sancti in Christo, et specialiter donum timoris, de quo poterat esse difficultas. Similiter gratias gratis datas, et specialiter prophetiam, quia etiam de illa poterat esse specialis difficultas, quod non inveniatur in Christo. Et hæc tractat usque ad articulum octavum.

In secundo ordine ostendit fuisse in Christo plenitudinem gratiæ, ita quod potuit augeri in infinitum moraliter, etsi non physice, et hoc ab articulo nono usque ad tertium et decimum.

#### DISPUTATIO VIII.

DE GRATIA HABITUALI, ET ALIIS DONIS ANIMÆ CHRISTI.

#### ARTICULUS I.

*Utrum anima formaliter, et intrinsece sanctificetur per unionem personalem Verbi?*

I. Hujus difficultatis occasionem præbuit S. Thomas in articulo primo hujus quæstionis, solutione ad primum, ubi ad explicandum necessitatem gratiæ habitualis in Christo dixit: « Quod quia in Christo remanet distinctio naturarum in unitate Personæ, anima Christi non est per suam essentiam divina, et ita oportet,

quod fiat divina per participationem, quæ est secundum gratiam. » Hinc ergo sumitur occasio difficultatis, an videlicet unio Personæ divinæ ad animam Christi reddat illam sanctificatam, etiamsi non poneretur gratia habitualis, et quomodo possit personalis unio hunc effectum formalem præbere animæ.

II. Ut autem punctus difficultatis attingatur, duo suppono tamquam certa, et in aliis duobus est magna difficultas. Primum est certum, sanctitatem divinam attributalem non minus prædicari de Christo per communicationem idiomatum, quam alia attributa: sicut enim Christus dicitur omnipotens, immensus, infinitus, etc. ita etiam loquendo de illo homine in concreto ratione personæ, dicitur sanctus sanctitate divina eadem ratione. Secundum certum

est, solam unionem hypostaticam sufficere ad effectum negativum sanctitatis, quod est esse impeccabilem illum hominem, quia ut infra quæstione decima quinta latius dici solet, illi homini ratione personæ, quæ est principium quod illius naturæ, et operationum ejus, repugnat, quod influat in peccatum, et non solum ex aliqua extrinseca providentia, et protectione Dei.

III. Difficultas consistit in duobus. Primum, an ista unio personalis solum radicaliter præbeat sanctitatem animæ Christi, quatenus est radix, et principium, cui debetur gratia habitualis; an vero per seipsam formaliter constituat animam Christi intrinsece sanctam. Secundo, est difficultas, dato quod formaliter possit reddere animam sanctam, an talis effectus formalis proveniat a deitate, seu a personalitate ipsa relativa; an vero ab ipsa unione, qua humanitas redditur formaliter unita personæ.

IV. In primo puncto controversiæ, variæ sunt sententiæ, quæ tamen ad duos modos dicendi præcipue reduci possunt. Primum est, quod gratia unionis licet reddat Personam divinam formaliter unitam humanitati in ratione subsistentis, non tamen reddere illam formaliter sanctam, et gratam, sed solum causaliter, seu radicaliter, quatenus est causa, et principium dandi gratiam habitualem, quæ est forma intrinsece sanctificans, sive intelligatur quod unio hypostatica sit radix quasi physice, et effective gratiæ habitualis, eo modo, quo essentia est radix passionum; sive intelligatur, quod sit radix quasi moraliter, quatenus præbet aliquod jus, sive convenientiam ut detur gratia habitualis animæ Christi. Unde qui hanc sententiam sequuntur, negant quod gratia unionis actualiter, et formaliter exercent officium sanctificandi animam im-

mediate per se, sed mediante gratia habituali. Ita Asturicensis relectione de gratia Christi, pagina 96. Et sequitur Alvarez hic disp. xxxi, in prima conclusione, et præsertim in solutione ad primum, secundum et tertium. Nec multum recedit iste modus dicendi a sententia Paludani in III, distinct. XIII, quæst. II, conclusione prima, et Durandi eadem distinctione, quæst. I, num. VIII, qui existimat gratiam habitualem simpliciter fuisse necessariam animæ Christi ad suam sanctificationem.

V. Alius modus dicendi est, quod gratia unionis immediate, et formaliter per seipsam sanctificat animam Christi sanctitate personali, et quasi substantiali, seu subsistenti; an vero det omnes effectus sanctitatis ipsi animæ Christi, ita quod suppleat tamquam forma eminens id, quod gratia formaliter accidentaliter facit, non ita convenit inter auctores; nam pater Suarez disp. XVIII, sect. I, §. Dico secundo, et alii, existimant gratiam unionis per seipsam formaliter non conferre naturæ humanæ omnem justitiæ, et sanctitatis perfectionem, quasi extrinsecam, quæ in homine justo, et sancto necessaria est, ut sit ex omni parte bene affectus, et dispositus ad operationes rectas; id enim necessario debet fieri per virtutes, seu habitus supradictos: idemque necesse est ponere, ut actus ipsi supernaturalis sint. Alii indistincte loquuntur, et sanctificationem supernaturalem attribuunt ipsi gratiæ unionis, et similiter omnem rationem meritoriam præmii supernaturalis. Ita absolute docet Lorca hic disp. xxxvi; Medina super articulum primum hujus quæstionis; et Vazquez disp. XLII, cap. IV, in fine, qui in hoc contradicit Suariorum.

VI. In secundo puncto, quidam dicunt humanitatem sanctificari per ipsam deitatem unitam illi mediante

hypostasi, ut Vazquez hic disput. xli citata, cap. iv, quatenus humanitas Christi dicitur unita, et delibuta ipsa deitate. Addit tamen deitatem non esse formam intrinsecam sanctitatis, sed extrinsecam, ideoque non tribuere effectum physicum sanctitatis animæ Christi, sed solum moraliter per quemdam respectum. Alii existimant formam sanctificantem non esse ipsam naturam deitatis, quæ solum mediate unitur humanitati, sed esse ipsam Personam Verbi, quæ immediate illi unitur. Ita Suarez ubi supra citatus, Lorca, Nazarius hic art. i, contr. ii, concl. iv, et multi alii communiter, licet valde difficile sit in hac sententia explicare, quomodo personalitas relativa immediate sanctificet, cum sanctitas in Deo sit attributum absolutum, et omne absolutum solum mediate uniatur humanitati.

VII. Denique, alii existimant ipsam unionem immediate sanctificare humanitatem, loquendo de forma sanctificante physice; moraliter enim ipsa Persona Verbi est, quæ sanctificat, et dignificat humanitatem. Ita pater Suarez infra disputat. lxi, sect. iii, §. Unde ad alteram partem, ubi docet formam intrinsece sanctificantem esse unionem, quia hæc est intrinsece in humanitate; Verbum autem non sanctificare intrinsece, sed sicut formam extrinsecam, seu terminum unionis: tandemque resolvit sanctificationem Christi, si consideretur tamquam aliquid physicum, esse proxime ab unionem, si consideretur quantum ad dignitatem moralem esse a Persona Verbi. At vero hic disp. xviii, sect. i, dixerat absolute Verbum esse quasi formam sanctificantem; unionem vero quasi viam, sive conditionem requisitam, sicut gratia, inquit, est forma sanctificans animam; inhæsiō vero est conditio necessaria, sive via in suo genere ad illam.

## RESOLUTIO DIFFICULTATIS.

VIII. Nihilominus dico primo: Certum est secundum doctrinam patrum, humanitatem Christi ex unionem hypostatica ad Verbum sanctificatam, et deificatam esse. Hanc conclusionem bene probant testimonia, quæ erudite adducit Asturicensis ubi supra, pagina 94, Suarez, et Vazquez loco citato, quamvis Lorca existimet non omnino convincere testimonia sanctorum. Existimo tamen hoc negari non posse, quia patres ponunt differentiam inter nostram sanctificationem, et Christi, quod Christus, ipsa divinitate, et unionem Personæ sit sanctus; nos autem participationem gratiæ ipsius. Quod stare non potest, si ista sanctificatio Christi exponitur de sanctificatione per gratiam, qua etiam nos sancti sumus. Sic dixit Concilium Francofordiense in epistola ad episcopos Hispaniæ: « Quia Christus natura unctus; nos per gratiam, quia in illo plene fuit divinitas. » Et Nazianzenus oratione xxxvi, numero vii: « Quorum causa, inquit, divinitate delibutus est; hæc enim humanitatis unctio est: » et subjungit num. xciii et sequentibus: « Christus vero propter divinitatem. Ea enim humanitatis unctio est, non operatione ut in aliis, Christum sanctificans, sed totius unguenti præsentia, cujus hic effectus est, ut id quod ungit homo vocetur, et quod ungitur Deus fiat: » et Cyrillus lib. iv in Joannis caput xxix, dicit: « Christum unctum non sicut alios sanctos, et reges, sed quia Verbum caro. » Et similia inveniuntur in Athanasio, et Damasceno, quæ testimonia ipse Lorca negare non potuit, sed excepit istos quatuor patres.

IX. Nec enim recte explicantur

ista, et alia testimonia de unctione, et sanctificatione per Verbum, sicut nos dicimus sanctificari Spiritu sancto, non excludendo donum creatum, quo formaliter sumus sancti. Sic enim nulla differentia inter sanctificationem Christi, et nostram, nisi penes majorem, vel minorem gratiam, quia tam Christus, quam nos sanctificemur per donum creatum gratiæ: Persona autem divina in Christo, et Spiritus sanctus in nobis, solum sanctificaret causaliter, et tamquam principium ut sanctitas dimanaret, non tamquam ratio sanctificandi, et sic non haberet diversum genus sanctificationis. Dicit autem Hilarius vii de humanitate (quem refert S. Thomas in catena Joannis x, ad illa verba: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*: « Præcedit, inquit, cæteros per id, quod sanctificatus in filium est, Beato Paulo dicente, quod prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis. » In hoc ergo sancti ponunt præcellentiam sanctificationis Christi, quia accepit sanctificationem filiationis naturalis, et non adoptivæ: quod utique factum est per gratiam unionis. De quo etiam videri potest S. Thomas super Joannis caput primum i, lect. viii ad illa verba: *Plenum gratiæ, et veritatis*, et Joannis x, ad illa verba: *Quem Pater sanctificavit, etc.* et ad Hebræos i, exponens illa verba: *Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ, etc.*

X. Ratio conclusionis desumitur ex eadem doctrina S. Thomæ, quia esse Filium Dei naturalem est maxima sanctitas, et conjunctio suprema animæ ad Deum, et suprema communicatio supernaturalis, quæ ipsi animæ fieri potest, et ex vi hujus doni communicati animæ Christi ipsa supernaturaliter manet diligibilis, et grata Deo, et consequenter sancta; nam Deus amore suo

communicat bonitatem creaturæ, quam amat, et consequenter, cui tantum bonum, et donum communicat, utique summe diligit, et amat: et cum donum supernaturale sit, imo excedat omne donum supernaturale creatum, consequenter supernaturaliter diligit, cui illud communicat. Sicut ex eo animam supernaturaliter diligit, cui gratiam habitualement communicat, quia illi donum supernaturale præbet, et anima quatenus subest illi dono est supernaturaliter dilecta.

XI. Dico secundo: Non solum radicaliter, et mediate; sed formaliter, et immediate, et proxime anima Christi redditur sanctificata per ipsam unionem Verbi; licet non ea formalitate, qua gratia creata, scilicet accidentaliter. Hanc conclusionem deduco ex doctrina S. Thomæ opusculo ii, cap. ccciv, ubi sic inquit: « Ille per acceptum donum gratuitum efficitur Deo gratus, qui usque ad hoc perducitur, quod per charitatis amorem unus spiritus fiat cum Deo, quod ipse in Deo sit, et Deus in eo; hæc autem gratia est omnium sanctorum communis. Alia vero conjunctio est hominis ad Deum, non solum per affectum, aut inhabitationem, sed etiam per unitatem hypostasis, seu Personæ, ut scilicet una, et eadem hypostasis, seu Persona sit Deus, et homo. Et hæc quidem conjunctio hominis ad Deum est propria Jesu Christi, hæc etiam est homini Christi gratia singularis, quod est Deo unitus in unitate Personæ, et ideo gratis datum est, quia et naturæ facultatem excedit, et hoc donum merita nulla præcedunt, sed et gratissimum Deo facit, ita quod de ipso singulariter dicatur: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: » et subdit: « Quod gratia per quam homo unitur Deo per affectum, aliquod habituale existit in anima: esse autem

personale, vel hypostaticum non est per aliquem habitum, sed per naturas quarum sunt hypostases, vel Personæ: » ergo in sententia S. Thomæ, humanitas Christi, seu Christus ut homo, redditur singulariter gratus Deo, eique conjunctus, scilicet aliquo habitu, et consequenter non solum radicaliter ac remote, sed proxime et formaliter gratia unionis sanctificat animam reddendo illam Deo gratam, et dilectam supernaturaliter, et consortem divinitatis superiori modo, quam gratia habitualis, scilicet ipsa filiatione naturali Dei.

XII. Et deducitur evidenter ex præcedenti conclusione. Nam communicatio divinæ filiationis naturalis implicat, quod fiat formaliter per gratiam habitualement, quæ solum adoptionem, et sanctitatem secundum affectum inducit; ergo ista communicatio filiationis naturalis debet formaliter fieri per gratiam unionis. Sed hæc est sufficiens, ut ille homo in quantum homo, et ratione humanitatis sic unitæ, sit formaliter Deo gratus, et prædestinatus supernaturaliter: ergo ut sit formaliter sanctificatus supernaturaliter ex formalitate eminentioris formæ: ita tamen quod immediate, et proxime conferat hunc effectum, et non mediante gratia habituali, a qua nullo modo tales effectus possunt procedere. Minor probatur, quia ex eo quod Christus sit Filius Dei naturalis complacet Deo supernaturaliter, juxta illud Matth. xvii: *Hic est Filius meus dilectus, in quo, etc.* ergo est gratus Deo supernaturaliter; idem enim est esse Deo gratum supernaturaliter, et complacere Deo.

XIII. Item, ratione filiationis naturalis, ut communicatæ, terminat vere, et proprie actum prædestinationis divinæ, dicente Paulo ad Rom. i: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*: de quo infra omnes

theologi cum S. Thoma quæst. xxiv; sed prædestinatio est providentia efficax supernaturalis; ergo terminat formaliter actum providentiæ supernaturalis ex vi solius gratiæ unionis; ergo et habet sanctitatem, quia prædestinatio non versatur nisi circa sanctitatem, et gratiam.

XIV. Ac denique confirmatur, quia ut aliqua forma radicaliter solum tribuat aliquem effectum et mediate, oportet quod ille effectus proxime, et formaliter fiat ab alia forma. Risibilitas enim formaliter facit risibile, non rationalitas, sed gratia habitualis non potest formaliter facere sanctum sanctitate filiationis naturalis, sed solum participative, et secundum speciem unionis affectivæ; ergo illa sanctitas filiationis naturalis non radicaliter, sed formaliter debet præstari a gratia unionis per se immediate; illa autem est vera, et propria sanctitas, quia reddit animam magis unitam Deo, quam gratia habitualis, et magis gratam, et dilectam: ergo, etc.

XV. Sed objicies locum ex tertio distinctione III, quæst. i, art. i, ubi inquit: « Quod deitas, non est formaliter, sed effective perficiens animam Christi: unde oportet aliam formam creatam ponere in ipso, qua formaliter perficiatur, et hæc est gratia: » ergo secundum S. Thomam, quidquid non est forma creata, sed ad divinitatem pertinens, non formaliter sanctificat, sed ad summum radicaliter.

XVI. Respondetur, quod S. Thomas loquitur de sanctificatione accidentali et participativa, non de personali et hypostatica: illa enim effective fit a deitate, ut a forma derivante ex se talem participationem: ut quando dicit deitas non formaliter, sed effective tantum perficiens, manifestum est, quod ly formaliter ibi non opponitur huic quod estradicaliter, sed solum huic quod est

effective; atque ita respectu sanctificationis, quæ est effectus procedens a Deo, deitas formaliter non concurrat. Respectu vero sanctificationis, quæ fit secundum filiationem naturalem, non radicaliter solum, sed formaliter concurrat, ut ibidem S. Thomas ad quintum fatetur, quod Christus, etsi gratiam habitualement non habuisset, ex sola unione ad Verbum, et quia Deus erat, peccare non potuisset, et sibi gloria debebatur; adhuc tamen indiguit gratia ad perfectionem, et ad actus gloriæ, et ita debuit habere gratiam consummatam, quæ est lumen gloriæ, et gloriam perficientem ad actus viæ.

XVII. Dico tertio: Sanctificatio ista formalis, personalis, aut hypostatica, non fit in ipsa anima Christi per divinitatem ut natura est, quatenus distinguitur a Persona; sed fit formaliter per ipsam relativam Personam unitam hypostatice, quatenus habet præbere effectum communem omnibus Personis, scilicet, quatenus Persona divina assumendo naturam humanam est ratio conjungendi duas naturas, scilicet, divinam humanam in eadem Persona. Hæc conclusio continet partem negativam, scilicet, non fieri hanc sanctificationem per divinitatem ut natura est, quatenus distinguitur a Persona; et partem affirmativam, scilicet formaliter per ipsam hypostasim sub illa ratione explicata. Et prima pars est contra Vazquez ubi supra, qui deficienter attingit hunc modum sanctificationis, existimans deitatem ipsam esse formam sanctificantem animam Christi mediante unione, tamquam conditione requisita; et cum videret deitatem, ut distinguitur a supposito, non posse uniri tamquam formam alicui creaturæ, et supplere effectum formalem aliquem in ipsa, declinavit in aliud extremum, et dixit hunc

modum sanctificationis derivatum a deitate in animam Christi mediante unione, non esse physicum aliquem effectum, sed moralem, qui in extrinseco respectu consistit.

XVIII. Sed hæc philosophia Vazquez longe ableganda est a theologia, quia in re non solum destruit formalem sanctificationem in anima Christi; sed etiam veram. Neque enim potest dici in re sancta illa anima, si in se non est sancta per aliquam mutationem interiorem sibi supervenientem, intrinsece receptam mediante unione hypostatica: sicut enim non posset dici vere subsistens humanitas nisi vere, et intrinsece mutaretur per subsistentiam Verbi sibi unitam, a qua terminatur intrinsece; sic nec posset dici vere sancta, nisi vere, et intrinsece mutaretur per sanctificationem realem et intrinsecam. Si enim suppositum sufficit immutare naturam intrinsece in ratione subsistendi, cur non in ratione sanctificandi?

XIX. Et optime hæc sententia impugnatur a Lorea ubi supra, ejusque falsitas ex duobus constat. Primo, ex peccati expulsionem, nam si Verbum assumeret naturam maculatam peccato per veram, et intrinsecam maculam, impossibile erat tollere hanc maculam nisi per intrinsecam mutationem; privatio enim intrinsece conveniens alicui subjecto, non potest tolli ipso subjecto manente intrinsece immutato; manet enim intrinseca privatio, quamdiu subjectum intrinsece non mutatur, sed est intrinsece sicut prius: sed per unionem hypostaticam ille homo non maneret vere, et intrinsece peccator, nec maculatus, aut aversus a Deo, ut dicebamus ex S. Thoma, et infra communiter docetur a theologis quæst. xv, nec ipse Vazquez diffitetur; ergo sanctificatio hypostatica intrinsecam mutationem, et effectum debet ponere, qualis est ex-